SPECULUM NATURALE
VICENTIUS BELVACENSIS
Cap. Apologia De Natura Rerum

[Actor] Porro ipsam rerum naturam, quam diligentius ut potui, descripsi, nullus, ut estimo, superfluam aut inutilem reputabit, qui in ipso creaturarum libro nobis ad legendum proposito creatoris, gubernatoris et conservatoris omnium dei potentiam, sapientiam et bonitatem, ipsa veritate rationem illuminante, legere consueverit. Nam, ut ait magnus ille Basilius , ab his qui veritatem intelligentes ex visibilibus invisibilia reputant, in terra et in aere, in aquis et in celo, et in omnibus que cernuntur, benefactoris monimenta certissima capiuntur. Sicque domino sensibus eorum iugiter adherente, nec peccatis tempus datur, nec inimico locus suggerendi contraria relinquitur. Accedit ad hec, et utilitas alia doctoribus et predicatoribus cunctisque scripturarum sacrarum expositoribus minime contemnenda. Ut enim Augustinus dicit: rerum ignorantia facit obscuras figuratas locutiones, cum scilicet, ignoramus, vel animantium, vel lapidum, vel herbarum naturas aliarumve rerum, que ponuntur plerumque in scripturis alicuius similitudinis gratia. Numerorum quoque imperitia, multa facit in eis non intelligi mystice posita. Iam vero quanta est pulchritudo etiam infima huius mundi, et quam grata rationis aspectui diligenter consideranti, non solum modos et numeros et ordines rerum, que per diversas mundi partes decentissime et ordinatissime collocantur, verumetiam volumina temporum, que per decessiones atque successiones eorum iugiter explicantur et morte nascentium distinguuntur. Ego quidem, ut taceam de mundis corde, quorum est proprium videre deum et in ipso delectari. Ego inquam, ut verum fatear, licet peccator immundus, cuius nimirum

mens adhuc in fecibus carnis sue iacet, eiusdem sordibus obvoluta, quadam tamen spirituali suavitate in mundi creatorem ac rectorem afficior, quia ipsum maiori veneratione ac reverentia prosequor, cum ipsius creature magnitudinem simul et pulchritudinem eiusque permanentiam intueor. Ipsa namque mens, plerumque paululum a prefatis cogitationum et affectionum fecibus se erigens, et in speculationis lucem, ut potest, assurgens, quasi de quodam eminenti loco totius mundi magnitudinem uno ictu considerat, infinita loca diversis creature generibus repleta intra se continentem. Evum quoque totius mundi, videlicet a principio usque nunc, quodam aspectu nihilominus conspicit : ibique tempora omnia per diversas generationum successiones <rerum,rerumque> mutationes continentia, quasi sub quadam linea comprehendit. Et inde, saltem intuitu fidei, ad cogitandum utcumque creatoris ipsius magnitudinem, pulchritudinem atque perpetuitatem ascendit. Ipse namque mundus spaciositate locorum imitatur pro modulo suo creatoris inmensitatem. Varietate specierum ipsius pulchritudinem, prolixitate temporum eius eternitatem. Hec autem ipsa temporalis pulchritudo, que rerum transitu ac successu peragitur, historica narratione comprehenditur, que ab initio mundi usque ad finem in hoc opere describitur plenissime.

l. - 1 - LIBER PRIMUS

c. - 1 - DE DIVERSIS MUNDI ACCEPTIONIBUS

Ex libro qui dicitur imago mundi Mundi factura quinque modis describitur. Dicitur enim primo modo mundus archetypus, id est principalis et omnium exemplaris, secundum quod ante tempora secularia universitas creature in mente divina fuisse legitur. Secundo modo dicitur mundus primitus exemplatus, scilicet cum ad exemplum archetypi angelus et huius sensibilis mundi materia creata est ab initio. Tertio modo, cum per species

et formas varias mundus iste visibilis formatus describitur. Quarto modo, secundum quod pulchritudine temporali cursum suum continue peragente unumquodque ex sui generis semine nascitur. Quinto modo, secundum quod mundus iste visibilis, in fine temporum ab hac specie corruptibili in incorruptibilem transmutatus innovabitur. Mundus archetypus ipse est filius dei, cum patre et spiritu sancto unus deus, hic est dei sapientia et ratio et verbum deo dicenti coeternum, de quo scriptum est . Quod factum est, in ipso vita erat, id est vivebat, sicut arca vel domus preconcepta vivit in mente artificis, antequam fiat. De secundo scriptum est , qui vivit in eternum creavit omnia simul. De tertio scriptum est , qui fecit mundum de materia informi sive invisa, id est invisibili. De quarto scriptum est , preterit figura huius mundi. De quinto scriptum est , novos celos et novam terram expectamus, in quibus iustitia habitat.

[Actor] Iuxta hunc ordinem deo auxiliante intendimus procedere maximeque in presenti volumine mundi descriptionis iuxta tertium modum, hoc est de variis speciebus, quas mundus iste sensibilis continet describendis, diligenter insistere. De mundo quippe archetypo sufficienter, ut estimo, alias disseruimus; in libro videlicet quem de sancta trinitate , communiter ex dictis sanctorum et catholicorum doctorum nuper compegimus. Et in alio quodam opusculo , quod simili modo de ipso dei filio mundi redemptore singulariter edidimus, quem etiam librum gratie titulo prenotavimus. Temporalem porro mundi pulchritudinem ab initio usque ad finem in opere illo plene digessimus, quod speculum historiale vocari decrevimus. Quapropter in huius voluminis capite, deo iuvante, de ipso archetypo et etiam de mundo secundario, videlicet angelis et prima materia primitus exemplata pauca breviter perstringemus. Et postea mundanarum specierum diligenter varietate

descripta, tandem de temporalibus mundi curriculis et eius fine similiter nonnulla succincte percurremus. Similiter et sacri doctores aiunt, quod ideo manus et pedes domini seraphin operiunt, quia et preterita ante mundum et futura post mundum scire non possumus. Sed media tantummodo contemplamur.

c. - 2 - DE DUOBUS MUNDIS EXISTENTIBUS

[Actor] Hermes qui et Mercurius et Trimegistus ad Asclepium. Pater quidem omnium vel dominus, qui est omnia, omnibus se libenter ostendit, non ubi sit loco nec qualis sit qualitate nec quantus sit quantitate, sed hominem sola intelligentia illuminans, qui discussis ab animo errorum tenebris et veritatis claritate percepta, totum se sensim in divine intelligentie commiscet. Cuius amore parte nature, que mortalis est liberatus, immortalitatis future fiduciam excipit. Et omnium quidem mirabilium vincit admirationem, quod homo divinam potuit invenire naturam. Certum est enim mundum intelligibilem, id est qui solo mentis intuitu dignoscitur, incorporalem esse nec eius nature corporale aliquid posse misceri, quod possit qualitate, quantitate numerisque dignosci, in ipso quippe nihil tale consistit. Hic vero mundus, sensibilis receptaculum est omnium sensibilium specierum, etiam qualitatum vel corporum, que omnia sine deo vegetari non possunt. Omnia quippe deus et omnia ab ipso, in ipso et per ipsum. Ipseque mundus sensibilis et omnia que in ipso sunt ab illo superiore mundo, quasi vestimentum contexta sunt. Nam licet in unoquoque genere animalium, singula sui generis formam possideant, in eadem tamen forma sui dissimilia sunt, quod facit uniformis ille, ut diximus, deus, cuius species non mutatur nec convertitur. Sicque singulorum generum forme sunt permanentes, in eadem sui forma dissimiles. Mundus itaque preparatus est a deo receptaculum omniformium specierum. Naturam autem

per species unigenas, mundum per quatuor elementa usque ad celum perduxit, cuncta dei visibus placitura, ipsum vero celum deo plenum est; porro cuncta ab imo usque ad summum sibi connexa sunt et mortalia immortalibus et sensibilia insensibilibus adnexa sunt. Plato etiam, ut legitur, duos asseruit mundos. Unum intelligibilem, in quo ipsam veritatem dicebat habitare, istum quoque sensibilem, quem manifestum est visu, tactuque sentire; itaque illum esse verum, istum verisimilem ad illius imaginem esse factum. Ideoque de illo, in eo, quod se cognoscet anima, velut expoliri veritatem ac serenari, de hoc autem in stultorum animis non scientiam, sed opinionem posse generari. Idem quoque dicebat ideas esse in mente divina, ideam diffiniens ita: idea est eorum que fiunt exemplar eternum. In hoc autem erravit, quod ideas aliud esse, quam ipsam mentem putavit.

c. - 3 - QUOD MUNDUS ARCHETYPUS IPSE SIT DEI FILIUS

Basilius in Hexaemeron libro Io Erat autem antiquissima ordinatio creaturead essentias eas accommodatus, que extra mundum sunt,[apta virtutibus,]orta sine tempore, sempiterna sibique propria, in qua deus omnium conditor instituit opera certa, hoc est lumenintelligibile et eternum, beatitudini conveniens omnium amantium deum. Augustinus de trinitate libro VIo Ipsa est ars quedam omnipotentis et sapientis dei, plena omni ratione viventium et incommutabilium et omnia unum in eo sunt, sicut ipsa est una de uno cum quo et unum.

Glossa super epistolam ad Hebreos Hic est mundus invisibilis, qui erat in dei sapientia, videlicet ipsa eius dispositio eterna, qui in verbo suo disposuit omnia. Unde apostolus inquit: fide intelligimus aptata esse secula verbo dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent. Hoc est iuxta exemplar invisibile, quod erat in mente divina, ex

nihilo in esse procederet.
Glossa super Iob Nam et faber arcam prius facit in mente, post in opere, quod est in mente vivit cum artifice, quod autem fit, mutatur cum tempore. Unde de verbo dei scriptura pronunciat. Quia quod factum est in ipso vita erat. Quicquid enim factum est in tempore, semper vixit et vivit in spirituali factoris ratione.
Augustinus in libro LXXXIII questionum Omnia quippe deus ratione condidit. Nec eadem ratione hominem qua equum, sed singula propriis rationibus constituit. Has vero rationes non arbitrandum est esse, nisi in propria creatoris mente. Non enim quicquam extra se positum aspiciebat, ut secundum id constitueret quod faciebat, quas rationes eternas in verbo intueri anima nequit, nisi que rationis oculum sanum et purum et serenum et sanctum et similem eis, quas videre intendit habuerit. Sic enim ipso intelligibili lumine perfusa et illustratam cum ei coheserit, hac ipsa visione beatissima fit. Has autem sive ideas sive formas sive rationes appellare licet multisque conceditur vocare quodlibet paucisque videre quod verum est.
Origenes in homilia super principio Iohannis Si autem queris, quomodo in ipso vitaliter et uniformiter et causaliter, subsistunt omnia, accipe paradigma ex creaturarum natura. Conspicare, quomodo cause rerum omnium, quas comprehendit globositas sensibilis huius mundi, simul et uniformiter subsistunt in isto sole visibili. Inde namque forme corporum omnium procedunt. Inde distantium pulchritudo colorum et cetere que de sensibili natura predicari possunt. Considera multiplicitatem et infinitam virtutem seminum, quomodo simul in singulis seminibus continetur numerositas herbarum, fruticum, animalium, quomodo pulchra surgit ex eis varietas formarum. Intuere quoque interioribus oculis quomodo regule multiplices in arte artificis unum sunt et in animo

disponentis eas vivunt. Quomodo infinitus numerus linearum in uno puncto subsistunt unum et huiusmodi naturalia exempla perspice, ex quibus velut philosophie theorice pennis, ultra omnia subvectus, divina gratia adiutus, poteris arcana verbi mentis acie perspicere. Et quomodo omnia que per verbum facta sunt in illo vivunt, videre.

C. - 4 - QUID SIT DEUS

Dionysius in libro de divinis nominibus Hierarchia siquidem est arcanum bonum, omni rationi superrationale nec ulli eorum que sunt incommunicabile.Hoc igitur arcanum silentio temporali oportet nos honorare. Ioannes Damascenus libro Io Dicere namque quid est deus secundum substantiam, est impossibile, facilius magis est facere rationem ex omnium ablatione. Non enim eorum que sunt, est aliquid, non quidem, ut non ens, sed super omnia ens et super ipsum esse existens. Si enim eorum que sunt, nostre cognitiones sunt, quod super cognitionem est omnino, utique super substantiam erit et econverso. Augustinus de civitate dei in libro XXIIo Deum certe, sicut poterat, definire volens Cicero , mens, inquit, quedam est soluta et libera, ab omni concretione mortali secreta, omnia sciens, omnia movens ipsaque nutu predita sempiterno. Helinandus Empedocles quoque sic eum fertur diffinivisse. Deus est sphera, cuius centrum ubique, circumferentia nusquam. [Secundus quoque philosophus ita] Deus est mens immortalis, incontemplabilis celsitudo, forma multiformis, incogitabilis inquisitio, insopitus oculus, omnia continens lux, bonum et quid est huiusmodi. Dionysius ubi supra Quid est inquam deus? Est ratio simpla et veritas vere existens, circa quam ut puram et non errantem scientiam est divina fides unicum credentium fundamentum, ipsos veritati eisque veritatem callocans. Ipsa est scientia adunatrix cognoscentium et

cognitorum,a malo restituens, magis autem in bono statuens, ordinans et ornans et perficiens integritatem omniumque maculas solvens.Pro hac veritate moriuntur quotidie divine sapientie duces, testimonium perhibentes. Bernardus Clarevallensis in libro de consideratione Vo Quid est inquam deus? Quod ad universum spectat finis; quod ad delectationem salus; quod ad se, ipse novit. Quid est deus? Non minus perversorum pena, quam gloria humilium. Est enim rationabilis quedam equitatis directio, inconvertibilis atque indeclinabilis, quippe attingens ubique cui illisa omnis pravitas conturbetur, necesse est. Quid est deus? Longitudo, latitudo, sublimitas et profundum. Longitudo propter eternitatem interminabilem. Latitudo propter charitatem immensurabilem. Sublimitas propter maiestatem inattingibilem. Profundum propter sapientiam inscrutabilem. Hec sancti, secundum apostolorum comprehendunt. Idem in quodam sermone Qui enim cum Maria soli vacant deo, diligenter considerant, quid sit deus in mundo, quid in hominibus, quid in angelis, quid in seipso, quid in reprobis. Contemplantur siquidem, quia mundi rector est et gubernator, hominum liberator et adiutor. Angelorum sapor et decor, in seipso principium et finis. Reproborum terror et horror. Augustinus in libro soliloquiorum Ipse est denique quem amat omne, quod potest amare sive sciens sive nesciens. Ipse est qui non facit malum et facit etiam, ne fiat pessimum. Ipse est de cuius regno, leges etiam in hec regna descripta sunt. Cuius legibus arbitrium anime liberum est bonisque premia et malis pene, fixis per omnia necessitatibus distribute sunt. Cuius legibus in eva stantibus motus instabilis rerum mutabilium, perturbatus esse non finitur frenisque circumeuntium seculorum, semper ad similitudinem stabilitatis revocatur. Gregorius Nazianzenus Ipse est cuius esse totum et semper est

insuperabile, quoddam sine fine substantie pelagus. Nullis terminis limitibusque circundatur, omnem sensum naturam supergrediens et omne tempus.

c. - 5 - QUIBUS DISTINGUATUR PROPRIETATIBUS

Cassiodorus super psalmos Deus est substantia incorporalis simplex et incommutabilis.

Ioannes Damascenus Quod autem incorporeus sit deus, manifestum est diligenter intuentibus. Qualiter enim corpus esse potest, quod infinitum et indeterminatum est nec est enim formatum, sed impassibile, invisibile et incompositum.

Augustinus de fide ad Petrum In hoc autem se nullum corpus esse ostendit, quia quibusdam corporibus vitam dedit, quibusdam non dedit, cum omnium corpora ipse creaverit. Non enim rem viventem, nisi res vivens facit. Ipse vero naturaliter vita est, quia si vita non esset, viventia corpora non fecisset.

Idem in libro de videndo deo Itaque nec corporalibus oculis queritur nec visu circumscribitur nec tactu tenetur nec auditur affatu nec sentitur incessu nec in loco videtur, sed mundo corde et cum absens putatur videtur et cum presens est non videtur; unde et apostolus dicit. Tanto tempore vobiscum sum et non cognovistis me.

Idem in libro confessionum Xo Non est aliquo sensu corporali perceptibilis. Est tamen quedam lux, quedam vox, quidam color, quidam cibus, quidam amplexus interioris hominis, ubi fulget anima, quod non capit locus, ubi sonat, quod non rapit tempus, ubi redolet, quod non spargit flatus, ubi sapit, quod non minuit edacitas, ubi heret, quod non divellit satietas.

Ioannes Damascenus Porro simplex est deus et non compositus. Nam si compositus esset, qualiter impassibilis esse posset. Compositio namque principium

est pugne; pugna vero dissonantie: dissonantia porro, solutionis est causa. Solutio autem omnino a deo est aliena. Ceterum qualiter deus compositus esse queat, cum per omnia incedat et omnia impleat. Impossibile est siquidem corpus per corpora incedere, quin incidat et incidatur, plicetur ac reobvietur, sicut quecumque sunt humida miscentur et confunduntur.

Boetius de trinitate Denique nihil esse dicitur in materiam, sed secundum formam propriam. Divina vero substantia est sine materia atque ideo unum est et est id, quod est. Reliqua porro non sunt id quod sunt. Habet enim unumquodque suum esse ex his, ex quibus est, id est ex partibus suis et est hoc et hoc, id est partes sue pariter coniuncte, non hoc vel hoc singulariter. Quod autem non est ex hoc et ex hoc, sed hoc tantum est, illud vere est, id quod est.

Richardus de trinitate libro IIo Ceterum in illa summa sapientia que deus est, nihil falsitatis inesse potest, alioquin non summe saperet, qui vel fallere vellet aut falli posset. Constat itaque deum veracem esse: et hoc ipsum est ei ex veritate. Veritas ergo non est aliud aliquid quam ipse, cum veraciter convinci possit non habere nisi ex se quod tamen habet ex veritate. Veritas autem, sicut nunquam non fuit, sic nunquam non erit, semper enim verum fuit futurum fore quod erit. Et semper verum fuit fuisse quod fuit, ergo veritas deus, sicut initium non habuit, sic et fine carebit.

Hieronymus in regulis diffinitionum Itaque sicut naturis redditur proprietas, ut homini risus, equo hinnitus, ita divine nature si quid proprium est, reddas. Proprium est deo non cepisse, licet omnium que sunt, proprium est cepisse.

Richardus ubi supra Eternum est autem, quod caret utroque, scilicet initio et fine omnique mutabilitate. In his ergo tribus probasse eternus. Recte quoque immensus dicitur, cuius magnitudo nulla mensura comprehenditur.

Hugo de sacramentis libro Io Itaque nec augeri potest, qui immensus est nec minui qui unus est nec loco mutari qui ubique est nec tempore qui eternus nec cogitatione qui sapientissimus est nec effectu qui optimus est.

Ex symbolo Eique nihil accidens esse potest, quia simplex divinitas semper est id quod est, cui nimirum idem est esse et vivere et intelligere.

Augustinus de trinitatis libro Vo Intelligamus ergo deum si possumus, quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine indigentia creatorem, sine situ presentem, sine habitu omnia continentem, sine aliqua sui mutatione mirabilia facientem nihilque patientem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum. Quisquis ita deum cogitat, etsi nondum potest omnimodo invenire qui sit, pie tamen cavet quantum potest, de illo aliquid sentire quod non sit.

c. - 6 - DE DIVINE ESSENTIE UNITATE

Ioannes Damascenus Quod autem unus est tantum deus: scriptura exprimens ait : dominus deus tuus, deus unus est.His vero qui divina scriptura non persuadentur, disputando sic probabitur: deus perfectus est et indeficiens est, secundum bonitatem et sapientiam ac virtutem. Et siquidem multos dicamus deos esse, in multis considerare differentiam est necesse. Si vero in eis est differentia ubi perfectio ac sive secundum bonitatem

sive secundum virtutem vel sapientiam deficiat a perfectione, iam eum constat deum non esse. Si autem per omnia est identitas, unum magis et non multos esse constat.Preterea qualiter etiam a multis gubernabitur mundus et non dissolvetur atque corrumpetur, considerata pugna in gubernantibus. Differentia enim contrarietatem inducit.

Richardus ubi supra Item quod esse non potest, omnino non est. Ex essendi igitur potentia accipit esse, omne quod in rerum universitate subsistit, sed si omne ab illa est, ipsa summa essentia est, sed si ab illa est omne posse, summe potens est, si omne sapere, summe sapiens est. Est enim impossibile magis aliquid dare, quam accipere vel habere. Non itaque aliud est essendi potentia, quam summa substantia. Non ergo potuit alicui alteri substantie dare, non dicam ut divinitatem haberet, sed ut ipsa deitas esset. Alioquin, quod impossibile est esse, parem haberet. Non est itaque deus nisi substantialiter unus quantoque melius est quantoque perfectius, quod humana cogitatio attingit, tanto ad id quod deus est, vicinius accedit, non tamen pertingit. Est itaque eruditis velut maxima propositio, est cunctis in communi, velut communis animi conceptio, deo attribuere, quicquid altius attingit humana estimatio. Est autem impossibile plures omnipotentes esse. Qui enim vere omnipotens fuerit, facile efficere poterit, ut ceterorum quilibet nihil possit. Alioquin vere omnipotens non erit.

Hugo in libro de tribus diebus Ceterum nunc precedit unitas alteritatem, quia precedit binarium, qui est alteritatis principium. Unitas ergo precedit omnem mutabilitatem. Cum ergo omnis creatura mutabilitati subiecta sit, sequitur, quod unitas omnem creaturam precedit. Quicquid autem est aut eternum aut creatum

est, unitas ergo eterna est. Porro eternum nihil aliud est quam divinitas, unitas igitur est divinitas, ergo unus est deus.

Dionysius in libro de divinis nominibus Est enim hierarchia unitas omnis unitatis, vivifica essentia superessentialis, intellectus invisibilis et inscrutabilis, tamquam non ente vestigio ullo in occultam eius multitudinem pervenientium nec tamen ulli eorum que sunt incommutabile bonum.

Hugo super hierarchiam Denique ait magnus ille theologus, videlicet ariopagita Dionysius , quod divine claritatis radius, nunquam a propria singulari unitate deseritur, licet ad anagogicam et unificam eorum, que provisa sunt contemperantiam optime ac pulchre perveniat ac multiplicetur. Hec etenim multiplicatio et variatio universorum est pulchritudo, quia nisi dissimiliter pulchra essent singula, summe pulchra non essent universa. Unde et provenire dicitur optime et pulchre. Optime, scilicet in universis et pulchre in singulis: vel optime, secundum participati infusionem, pulchre, secundum participantium dispositionem. Optime namque multiplicatur, ut maius sit bonum, quod a multis participatur et pulchre, ut maior sit decor universitatis, eo quod participantibus singulis varie infunditur. Et ipsa multiplicatio fit ad contemperantiam eorum que provisa sunt, id est electorum ac provisorum ad vitam, ut videlicet inter se contemperentur et concordia participationis iuventur. Ipsaque concordia et pax est illa contemperantia, qua sibi consentiunt, ut stent in uno et reformentur ad unum, propter hoc vocat eam anagogicam et unificam, unificam quidem, ut stent in unum, anagogicam, ut reformentur ad unum. Ideo pulchra est in congregatione, optima in elevatione. Iste

igitur radius ad corda illuminanda procedit sive ab intus per aspirationem ea replens sive a foris per sacri verbi eruditionem, se ipsis infundens. Et tamen inquit, manet intra se unifice et cum se mentibus illuminandis varie multipliciterque participandum prestat, nequaquam tamen extra unitatis sue simplicitatem effluit.

c. - 7 - DE PERSONARUM TRINITATE

Isidorus etimologiarum libro VIIo Dicitur autem deus trinitas, quasi triunitas. Quia pater et filius et spiritus sanctus sunt trinitas et unitas. Unum enim sunt propter maiestatis communionem et tres propter personarum proprietatem.

Ex deffinitionibus ecclesiasticorum dogmatum Ita creditur a nobis trinitas sine confusione coniuncta, sine separatione distincta. Non enim confusa est in una persona trinitas, ut Sabellius neque divisa in natura divinitas, ut blasphemat Arrius.

Augustinus de fide ad Petrum capitulo Io Pater itaque deus a nullo deo genitus, sed de natura sua sine initio genuit filium, sibi coequalem deum et eadem qua ipse naturaliter eternus est divinitate coeternum.

Idem in solutione questionum hereticorum Si enim filio pater equalitatem, quam ei date potuit, in nativitate subtraxit, invidus fuit, si autem dare non potuit, infirmus, sed utrumque fictum est, quia deo patri filius equalis est.

Idem contra Maximum libro IIo Beatius quidem est dare, quam accipere, sed hoc in hac vita est inopia, quoniam utique melior est copia. Melius enim est habere, quam egere. Melius est dare, quam mendicare: ubi autem qui dedit, gignendo dedit et qui accepit, nascendo accepit,

non inopi subventum est, sed ipsa copia generata est. Nec potest qui accepit ei, qui dedit inequalis esse. Quia ex hoc accepit, ut esset equalis. Nihil enim patre minus habet, qui dicit, omnia que habet pater mea sunt.

Idem ad Orosium Porro de spiritu sancto, certa fides hoc asserit, quod a patre filioque procedit, sicut et filius dicit. Cum venerit paraclytus, quem ego mittam vobis a patre et cetera.

Glossa super Ioannem Ex hoc enim dicitur, quem ego mittam vobis a patre et postmodum additur, qui a patre procedit, ostendit, quod non solum pater, sed et filius eum mittit, sed hoc a patre, a quo est ipse.

Augustinus de civitate dei libro XVo Ideo quoque dicitur spiritus sanctus a patre principaliter procedere, quoniam et de filio quidem procedit, sed hoc illi pater dedit, quia sic eum genuit, ut etiam de illo donum commune procederet et spiritus sanctus amborum spiritus esset. Non enim dedit, hoc ei iam existenti nondum habenti. Sed quicquid unigenito dedit, gignendo dedit.

Idem in libro VIIo Ipse est charitas patris et filiis utrumque coniungens nosque subiungens. Unde scriptum est : deus charitas est.

Idem in libro XVo Quod autem dicitur Christus paterne dilectionis filius, nihil aliud intelligatur, quam filius est dilectus. Charitas quippe patris, que est in eius ineffabili simplici natura, nihil aliud est, quam eius substantia ac per hoc filius charitatis eius nullus alius est, quam qui de substantia eius est genitus.

Richardus de trinitate libro IIIo Certe ubi totius bonitatis plenitudo est, vera et summa charitatis deesse non potest, nihil enim charitate melius est, oportet ergo ut amor in alterum se extendat, ut charitas esse queat. Ubi ergo personarum pluralitas deest, charitas omnino esse non potest. Sed si sola una persona a divinitate esset, summam certe charitatem erga creatam personam habere non posset, inordinata enim charitas esset, si summe diligeret eum, qui summe diligendus non esset. Ut ergo in illa vera divinitate, plenitudo charitatis posset locum habere, oportuit divinam aliquam personam persone condigne et eo ipso divino consortio non carere: precipuum vero, videtur in vera charitate, alterum velle diligi ut se. In mutuo siquidem amore multumque fervente nihil carius, nihil preclarius quam ut ab eo quem summe diligis et a quo summe diligeris, alium eque diligi velis. Probatio itaque consummate charitatis, est votiva communio exhibite sibi dilectionis. Estque indicium magne infirmitatis, non posse pati consortium amoris, posse vero pati signum magne perfectionis. Si vero magnum est pati posse, maius erit gratanter suscipere, maximum autem ex desiderio requirere. Demus ergo summo, quod precipuum est: summe igitur dilectorum summeque diligendorum, uterque oportet, ut pari voto condilectum requirat: parique concordia pro voto possideat: vides quod consummatio charitatis personarum trinitatem requirit, ubi ergo totum quod est, perfectum est, sicut nec integra charitas, sic nec vera trinitas abesse potest.

Dionysius de divinis nominibus Fontalis ergo deitas pater est, filius autem et spiritus dei genitricis deitatis frutices de eo germinati et quasi flores.

Hilarius de trinitate libro IIo Unus autem est deus pater

ex quo anima et unus unigenitus, per quem omnia et unus spiritus domini in omnibus. Nec deesse quicquam tante consummationi reperitur, intra quam sit infinitas in eterno, species in imagine, usus in munere.

Augustinus de verbis domini Est pater filio veritati origo verax et filius de veritate patre orta veritas et spiritus sanctus a patre bono effusa bonitas. Omnium autem non est impar divinitas nec separabilis unitas.

Ex symbolo In patre manet eternitas, in filio equalitas, in spiritu sancto eternitatis equalitatisque connexio.

Augustinus de trinitate libro VIIo Sic itaque cogitetur deum, ut neque personarum confusio sit nec talis distinctio, qua impar sit aliquid, quod si intellectu non capitur, fide teneatur, donec illucescat ille in cordibus, qui per prophetam dixit, si non credideritis non intelligetis.

c. - 8 - QUOD AB EADEM SUMMA TRINITATE CREATA SUNT OMNIA

Augustinus de fide ad Petrum Unde tenendum est, omnem creaturam que trinitas deus non est ex nihilo creatam, ab ipsa sancta trinitate, que unus verus et bonus deus est et quia summe bonus est, dedit omnibus naturis ut bone sint non tantum quantum ipse creator bonus. Est enim trinitas deus summum, eternum et incommutabile bonum, nullum habens defectum, quia non est ex nihilo factum, nullum habens profectum, quia non habet initium. Nature vero ab eo facte, ideo proficere possunt,

quia esse ceperunt. Ideo vero deficere, quia ex nihilo facte sunt, ad defectum eas conditio ducit originis, ad profectum vero provehit operatio creatoris. In eo igitur primum trinitatis, que deus est eternitas naturalis agnoscitur. Quia quedam ita fecit, ut cum esse ceperint, non esse tamen aliquando non possunt, in eo vero eius omnipotentia intelligitur, quod omnem creaturam invisibilem et visibilem de nihilo fecit. In quibus quanquam ipsa rerum diversitas, multo magis tamen ipsius bonitas et omnipotentia commendatur. Nisi enim omnipotens esset, non una eademque facilitate summa et ima fecisset et nisi summe bonus esset, non se gubernandis rebus, etiam infimis prestitisset. Simplicitas denique multiplicis dei sapientie commendatur, non solum in creaturarum sublimium magnitudine, sed etiam infirmarum parvitate dum omnia bona creata, non solum inferiora dissimiliaque suo creatori sunt, utpote non prolata de ipso, sed facta de nihilo, verumetiam inter se non equalia sunt, sed permanent singula, sicut a deo, ut essent, ceperunt. Denique nisi naturaliter immutabilis esset, nunquam in rebus mutabilibus ordo consilii ac dispositionis eius incommutabilis permaneret.

Idem de civitate dei libro IIo Itaque mundus ipse ordinatissima sua mutabilitate atque mobilitate et visibilium omnium pulcherrima specie, quodammodo tacitus proclamat et factum se esse et non nisi a deo ineffabiliter atque invisibiliter pulchro fieri se potuisse.

Idem in libro Vo Ipse est itaque deus omnipotens, qui hominem fecit et eum peccantem nec impunitum esse permisit nec sine misericordia dereliquit. Qui bonis et non bonis, essentiam cum lapidibus, vitam seminalem cum arboribus, vitam sensualem cum pecoribus, vitam intellectualem cum angelis dedit,qui non solum celum et

terram nec solum angelum et hominem, sed nec exigui et contemtibilis animantis viscera nec avis pennulam nec herbe flosculum nec arboris folium, sine suarum partium convenientia et quadam veluti pace dereliquit.

c. - 9 - QUALITER IPSA CREATRIX TRINITAS IN PRINCIPIO GENESEOS EST INSINUATA

Idem ad Orosium Ut autem quod de sancta trinitate omnium creatrice dictum est. Scripturarum testimoniis approbetur, in ipso principio geneseos, hec ipsa trinitas evidenter ostenditur. Cum enim dicitur; in principio fecit deus celum et terram, quid aliud intelligendum putas principium, nisi dei filium. Omnia quippe per ipsum facta sunt a patre. Unde et ipse de se, quid esset, interrogantibus respondit Iudeis: principium, qui loquor vobis. Itaque proculdubio pater intelligendus est in nomine dei, filius autem in nomine principii. Postea subsequitur scriptura, quod spiritus sanctus dei ferebatur super aquas, qui tertia est in trinitate persona.

Idem super Genesim ad literam libro Io Sicut autem in exordio creature trinitas creatrix insinuatur, sic etiam in conversione ac perfectione eiusdem, ut rerum species digerantur. Nam et verbum et verbi genitor exprimuntur, cum per singula creature genera, deus, ut fierent, dixisse perhibetur. Illa quippe dictio est in verbo eterno: patri coeterno, quamvis in eterno verbo dicente deo, hoc temporalis facta sit creatura: unde quia formam verbi semper et incommutabiliter patri coherentem non imitatur imperfectio creature cum ab ea dissimilis ad nihilum tendat quadam informitate, ideo cum insinuatur informitas materie prime, non fit commemoratio filii inquantum verbum est, sed inquantum principium est: postea vero in conversione sive formatione creature, fit

eiusdem commemoratio inquantum verbum, ut scilicet per id quod principium est, insinuet exordium creature existentis ab illo adhuc imperfecte, per hoc autem quod verbum est, insinuetur perfectio creature ad eum revocate, ut formaretur creatori inherendo et pro suo genere formam illius imitando. Inest autem deo benignitas summa nec ex indigentia, sed ex beneficentia veniens amor in opera sua. Idcirco in exordio creature dicitur, quod spiritus dei ferebatur aquas, quia bone voluntati creatoris subiacebat, quicquid formandum ac perficiendum inchoaverat, unde et de creatura perfecta dicitur: vidit deus, quod esset bonum, ubi eadem sancta dei bonitas exprimitur, in qua deo placuit, quicquid pro nature sue modulo perfectum placet. Duo quippe sunt propter que deus creaturam suam amat, videlicet ut sit et ut maneat: ut igitur esset, spiritus dei ferebatur super aquas, ut autem maneret, vidit deus, quia bona erat.

c. - 10 - QUALITER EIUS INVISIBILIA COGNOSCUNTUR A MUNDI CREATURA

Petrus Lombardus Ut autem dicit apostolus , invisibilia eius per ea que facta sunt, intellecta conspiciuntur, quia scilicet ex perpetuitate creaturarum, ipsius eternitas et ex magnitudine omnipotentia et ex gubernatione virtus vel bonitas intelliguntur. Ceterum licet potentia, sapientia et bonitas sive clementia de deo, secundum substantiam dicantur et in ipso penitus unum et idem esse probentur, frequenter tamen hec omnia distincte solent ad personas referri, scilicet ut patri potentia, filio sapientia, spiritui sancto bonitas attribuatur. Hugo de tribus diebus Hec sunt ergo tria creatoris invisibilia, que cognoscuntur per ea que ab ipso sunt facta.Potentiam quippe manifestat creaturarum immensitas. Sapientiam decor. Benignitatem

utilitas. Immensitas creaturarum constat in magnitudine et multitudine. Multitudo in similibus, in dissimilibus, in diversis, in permixtis. Magnitudo est in mole et spacio. Moles est in massa et pondere. Spacium est in lato et longo, profundo et alto. Decor creaturarum est in situ, in motu, specie, qualitate. Situs est in compositione et ordine. Ordo est in proprietate et tempore et loco. Motus est quadripartitus, localis, naturalis, animalis, rationalis. Localis est ante et retro, dextrorsum et sinistrorsum, sursum et deorsum et circum. Naturalis est incremento et decremento. Animalis est in sensibus et appetitibus. Rationalis est in factis et consiliis. Species est forma visibilis, que oculo discernitur, sicut figure et colores corporum. Qualitas est proprietas interior, que certis sensibus percipitur, ut melos auditu, dulcor gustu, fragrantia olfactu, lenitas tactu? Utilitas creaturarum constat in grato et apto et commodo et necessario. Gratum est, quod placet. Aptum quod convenit. Commodum, quod prodest. Necessarium sine quo, quid esse non potest.Mundus iste sensibilis, quasi quidam liber est scriptus digito dei, hoc est virtute divina creatus et singule creature quasi figure.

Idem de sacramentis libro Io Cum autem in deo sint tria, voluntas, sollicet et sapientia et potentia, primordiales cause a voluntate proficiscuntur, per sapientiam diriguntur, per potestatem producuntur. Voluntas etenim movet, sapientia disponit, potestas explicatur. Hec sunt eterna creaturarum omnium fundamenta, omni creature incomprehensibilia, sicut enim eternitatem dei non equat tempus nec immensitatem locus, sic nec eius sapientiam sensus nec bonitatem virtus nec potentiam opus.

c. - 11 - QUALITER EX CREATURARUM CONSIDERATIONE COGNOSCITUR ESSE SUMMA ESSENTIA

Ioannes Damascenus Deum itaque iuxta Ioannis

sententiam , nemo vidit unquam nec tamen nos in omnimoda sui dereliquit ignorantia, omnibus enim cognitio existendi deum ab ipso naturaliter est inserta.Ipsa quoque creationis permanentia et conservatio et gubernatio nos docet, quoniam est deus, qui hanc universitatem consistere facit, continet et conservat et ei semper providet. Qualiter enim utique contrarie nature, ignis, dico et aque et aeris et terre in unius mundi consummatione ad invicem convenissent et indissolubiles permansissent, nisi aliqua virtus omnipotens ea conservasset et indissolubilia semper conservaret.Ceterum quid est, quod movet celum. Nam omne quod movetur, ab alio movetur. Et illud iterum a quo movetur, sic est in infinitum querendo procedere, donec ad aliquid perveniamus immobile. Primum enim movens immobile est, quod deus est.

Augustinus de civitate dei libro IIo Denique sicut iam dictum est. Mundus iste ordinatissima sua mobilitate et mutabilitate ac visibilium pulcherrima specie, si quis diligenter attendat, quodammodo tacitus et factum se esse et non nisi a deo ineffabililiter atque invisibiliter pulchro fieri potuisse proclamat.

Richardus de trinitate libro Io Incessanter quippe videmus in his que ab eterno non fuerunt, alia quidem succedere, alia vero decedere. Porro manifesta ratio invenit, quia quicquid ab eterno non fuit a semetipso esse non possit. Alioquin aperte convincitur, quod aliquid sibi existendi initium dedit, sub illo instanti quando nihil habuit, quando omnino nihil potuit, hinc ergo colligitur ratiocinando et aliquid esse, quod est a semetipso. Nam si nihil a semetipso fuisset, omnino non esset, unde illa existere potuissent, que suum esse a semetipsis non habent. Convincitur ergo, ut dictum est, aliquid esse a semetipso et eo ipso etiam ab eterno, alioquin fuit quando nihil fuit, quod quam falsum sit, ipsa rerum

experientia convincit existentium. Sic sane, nemo dubitare potest, quia in tanta rerum multitudine existentium et tam multiplici differentia graduum esse oporteat aliquid summum. Absque dubio autem, melior est natura rationalis, quam irrationalis, oportet ergo, ut aliqua rationalis substantia sit omnium summa.

Gregorius in moralibus libro XXVIIo Itaque omnis homo eo ipso, quod rationalis conditus est, ex ipsa ratione illum, qui se condidit deum esse colligere debet. Unde per quendam sapientem in libro Iob dicitur. Omnes homines vident eum, quem nimirum iam videre, est dominationem illius ratiocinando conspicere: recte quoque ibidem subiungitur, unusquisque intuetur procul, ipsum quippe procul intueri, est non iam illum per speciem cernere, sed adhuc ex sola operum suorum admiratione pensare.

c. - 12 - QUALITER IN OMNI CREATURA RELUCENT TRINITATIS VESTIGIA

Augustinus in libro questionum LXXXIIIo Ceterum omne quod est, aliud est quo constat, aliud quo discernitur, aliud quo congruit: universa igitur creatura et est et plurimum distat ab eo, quod nihil est et suis partibus sibi congruit, causam quoque illius trinam esse oportet, qua sit, qua hoc sit, qua sibi amica sit: oportet igitur trinitatem esse, qua nihil prestantius, intelligentius, beatius, ratio potest invenire. Ob hoc etiam ubi veritas queritur, tria tantum genera questionum esse probantur: videlicet an sit, an hoc, an aliud sit, an probandum, an improbandum sit.

Idem de civitate dei libro IIo Quoniam igitur homines sumus ad nostri creatoris imaginem creati, cuius est vera eternitas, eterna veritas, eterna et vera charitas. Estque ipsa eterna et vera et chara trinitas. Neque confusa neque separata. In his quidem rebus que infra nos sunt, quoniam nec ipsa aliquo modo essent vel aliqua specie

continerentur nec aliquem ordinem vel appeterent vel tenerent, nisi ab illo qui summe sapiens est, qui summe bonus est, facta essent tamquam per omnia que fecit mirabili stabilitate currentes, quasi quedam ipsius, alibi plus, alibi minus impressa vestigia colligamus. In nobis autem ipsis eius imaginem contuentes, tamquam iunior ille filius evangelicus, ut in nosmetipsos reversi surgamus et ad illum redeamus, a quo peccando recesseramus. Ibi nostrum esse non habebit mortem, ibi nostrum nosse non habebit errorem, ibi nostrum velle non habebit offensionem.In his quippe, que quoquo modo sunt et non sunt quod deus est, a quo facta sunt preponuntur viventia non viventibus et in his que vivunt, sentientia non sentientibus et in his que sentiunt, intelligentia non intelligentibus et in his que intelligunt, immortalia mortalibus.Sed tantum valet in naturis rationalibus, quoddam veluti pondus voluntatis et amoris, ut cum ordine nature angeli hominibus, lege tamen iustitie boni homines malis preferantur angelis.Et nos quidem in nobis imaginem illius summe trinitatis agnoscimus, qua nihil in rebus a deo factis sit ei natura propinquius. Nam et sumus et nos esse novimus et nostrum esse ac nosse diligimus.Animalia quoque etiam irrationalia, que sentiunt esse se velle et ob hoc interitum fugere, quibus possunt nutibus ostendunt. Sed et arbusta fruticesque quibus nullus est sensus, ut in auras tunc cacuminis germen emittant, altius terreradices infigunt, quo alimentum trahant sicque suum esse quodammodo conservant. Ipsa postremo corpora, quibus nec sensus nec seminalis est vita, ita tamen vel in superna insiliunt vel ima descendunt vel in mediis librando se collocant, ut essentiam suam ubi secundum naturam possunt esse, custodiant.Sed et formas suas nobis sentiendas prebent, ut pro eo, quod non valent, quasi innotescere velle videantur. Nosque sic ea sensu corporis capimus ut de his

non sensu corporis iudicemus. Alium quippe sensum interioris hominis, longe illo prestantiorem habemus, quo iusta iniustaque sentimus, iusta per speciem intelligibilem et iniusta per eius privationem. Ad huius sensus officium non acies pupille, non foramen auricule, non spiramenta narium, non gustus faucium, non ullus corporeus accedit tactus. Ibi me et esse et hoc nosse certus sum et hec amo atque me amare similiter certus sum.

c. - 13 - DE GRADIBUS CREATURARUM QUIBUS HOMINES AD DEI COGNITIONEM ASCENDUNT

Augustinus de civitate dei libro XIIo Cum ergo deum summe sit, qui ad Moysen dicit: ego sum, qui sum. Rebus quas creavit esse dedit, aliis amplius, aliis minus atque ita naturas essentiarum gradibus ordinavit.

Idem in libro quinto Homini vero dedit essentiam cum lapidibus, vitam seminalem cum arboribus, vitam sensualem cum pecoribus vitam intellectualem cum angelis dedit enim et carni originem, pulchritudinem, valitudinem et anime in rationali memoria sensum appetitum. Rationali autem insuper, mentem intelligentiam, voluntatem.

Idem in libro XIo In his autem omnibus, ut diximus, que a deo facta sunt, preponuntur viventia non viventibus. Et in his que vivunt sentientia non sentientibus et in his que sentiunt, intelligentia non intelligentibus. Et in his que intelligunt, immortalia mortalibus.

Idem Isidorus in libro de summo bono Quibusdam itaque gradibus intelligentie per creaturam homo progreditur ad intelligendum creatorem: videlicet ab insensibilibus ad sensibilia, a sensibilibus ad rationalia, a rationalibus surgens ad creatorem, intelligibilia quippe deum laudant per se, irrationalia vero et insensibilia non per se, sed per

nos laudant eum, dum nos ea considerantes laudamus deum. Sed ideo laudare deum et ipsa volunt, quia videlicet eandem laudem eorum parturit causa: denique dixerunt antiqui, quod nihil tam hebes existat, quod censum in deum non habeat.

Augustinus de civitate dei libro XIo Sed magnum est et admodum rarum paucisque concessum, universam creaturam corpoream et incorpoream, mente consideratam mutabilemque compertam intentione mentis excedere et ad immutabilem dei substantiam pervenire ibique ex ipso discere, quod cunctam creaturam, que non est quod ipse, non fecit nisi ipse. Sic enim deum cum homine loquitur, non per aliquam creaturam corporalem vel corporali similem, sed ipsa veritate, si quis idoneus sit ad audiendum mente non corpore.

Idem in libro confessionum IIo Audiat ergo te domine intus sermocinantem qui potest, ego quidem ex oraculo tuo clamabo fidenter. Quam magnificata sunt opera tua, omnia fecisti in sapientia. Et hec ipsa sapientia tua principium est, quod loquitur nobis, interius docens nos, veritas stabilis, siquidem et per creaturam mutabilem cum admonemur ad veritatem stabilem ducimur.

Idem in quinto Ecce non cessat domine nec tacet laudes tuas universa creatura tua nec spiritus hominis per hos conversum ad te nec animalia nec corporalia, per os considerantium ea, ut exurgat in te a lassitudine anima nostra, innitens his que fecisti et transiens ad te, qui hec mirabiliter fecisti ibique refectio et vera fortitudo.

Idem in libro Xo Ecce interrogavi de deo meo terram et

omnia que in ea sunt et cuncta se deum non esse confessa sunt. Interrogavi celum et luminaria eius et hec que circunstant fores carnis mee, dixi omnibus: dicite mihi de deo meo aliquid, quod vos non estis, exclamaverunt omnia vocemagna, vere deus non sumus nos, sed ipse nos fecit. Interrogatio mea, intentio mea: responsio eorum, species eorum.

c. - 14 - QUOD DEUM MULTIS MODIS HOMINES COGNOVERUNT

Hugo de sacramentis libro Io Hic autem ab initio deus notitiam suam ab homine temperavit, ut sicut nunquam, quid esset, totum poterat comprehendi, sic quia esset, nunquam prorsus posset ignorari,ne si totus manifestus esset, fides non haberet meritum nec infidelitas locum: si vero absconditus totus esset, fides quidem a scientia non iuvaretur et infidelitas de ignorantia excusaretur.Proditus est igitur et indicatus est occultus deus, partim ratione humana, partim revelatione divina. Et ratio quidem humana duplici investigatione deum deprehendit, partim videlicet in se partim ex his que erant extra se, similiter revelatio divina humanam ignorantiam, nunc ab intus per aspirationem, edocuit, nunc vero foris per doctrine eruditionem instruxit vel per miraculorum ostensionem confirmavit.Et approbavit hoc ratio et acquievit et unum esse deum asseruit nec collectionem diversorum, ne turbam faceret nec compositionem partium, ne massam formaret nec similitudinem multorum, ne pluralitas superflua vel singularitas imperfecta appareret.Itaque quatuor modis ad notitiam hominis egreditur deus invisibilis. Intus scilicet per rationem et aspirationem,

foris per creaturam et doctrinam: ratio quidem et creatura pertinent ad naturam. Aspiratio autem et doctrina, pertinent ad gratiam.Ex ratione sunt necessaria, secundum rationem probabilia, supra rationem mirabilia, contra rationem impossibilia. Et duo quidem extrema eorum que dicta sunt, fidem omnino non capiunt. Nam que ex ratione sunt, quoniam sciuntur credi non possunt. Que autem contra rationem sunt, nullo modo his acquiescit ratio. Illa ergo que sunt secundum rationem et illa que sunt supra rationem, tantummodo suscipiunt fidem. Et in primo genere fides ratione adiuvatur et ratio fide perficitur. In his vero que supra rationem sunt, fides a ratione non adiuvatur, sed ratio fidem venerari, quam comprehendere non valet, admonetur.

Dionysius de divinis nominibus Deum itaque non ex sua cognoscimus natura, sed ex omnium existentium ordinatione ex ipso proposita, imagines quasdam divinorum ipsius habente omnique via et ordine in ipsum est redeundum, omni ablatione et eminentia in causa omnium; proinde et in omnibus et sine omnibus et per scientiam et sine scientia cognoscitur deus,utique secundum superque omnem animi virtutem cognoscitur, cum animus ab existentibus omnibus recedens, deinde et seipsum relinquens, super apparentibus radiis innititur. Inde inscrutabilis sapientie profundo illuminatus, que ut dictum est, cognoscenda est ex omnibus, ipsa est enim omnium factrix, semper compaginans omnia et indissolubilis omnium congruentie et ordinationis causa, semper propinquorum fines seculorum connectens et unam universitatis conspirantiam harmoniamque pulchram faciens.

c. - 15 - QUALITER AD UNIUS DEI COGNITIONEM PHILOSOPHI PERVENERINT

Richardus in prologo libri de trinitate Cogitemus igitur, quantum in eius cognitione studuerunt vel quousque perfecerunt etiam huius mundi philosophi. Et pudeat nos in hac parte inferiores illis inveniri, amplius aliquid debet in nobis amor veritatis, quam in illis potuit amor vanitatis. Amplius etiam aliquid in his nos posse oportebit, quos fides dirigit, spes trahit, charitas impellit.

Augustinus de civitate dei libro VIIIo Illi nimirum summi philosophi , quos merito fama et gloria, ceteris prelatos videmus, nullum corpus deum esse comprehenderunt et ideo querentes, eum cuncta corpora transcenderunt, viderunt quoque quicquid est mutabile, non esse summum. Ideoque omnes etiam spiritus mutabiles transcenderunt querentes summum bonum. Deinde considerarunt omnem speciem in re quacunque mutabili, que est, quicquid illud est non esse posse, nisi ab illo qui vere est, quia incommutabiliter est. Ac per hoc sive universi mundi corpus, figuras, qualitates ordinatumque motum et elementa a celo usque ad terram disposita et quecumque in eis sunt sive omnem vitam vel que nutrit et continet, qualis est in arboribus vel que et hoc habet et sentit, qualis est in pecoribus vel que et habet hoc et intelligit, qualis in hominibus vel que nutritorio subsidio non indiget, sed tamen continet, sentit, intelligit, qualis est in angelis, nisi ab illo esse non posse, qui simpliciter est. Quod enim illi est vivere, intelligere, beatum esse, hoc est illi et esse; propter hanc incommutabilitatem et simplicitatem intellexerunt eum et omnia illa fecisse et ipsum a nullo fieri potuisse. Considerarunt enim quicquid est vel corpus vel vitam esse, meliusque aliquid vitam

esse quam corpus speciemque vite intelligibilem, quam corporis semibilem esse; nulla enim est corporalis pulchritudo sive in statu corporis sicut est figura sive in motu, sicut est cantilena, de qua non animus iudicet, quod profecto non posset, nisi species hec in ipso melior esset fine tumore molis, sine strepitu vocis, sine spacio loci aut temporis, sed ibi quoque nisi mutabilis esset, non alius alio melius de sensibili specie iudicaret. Quod enim maius aut minus recipit, sine dubio mutabile existit. Unde ingeniosi homines ac docti facile collegerunt, non esse primam speciem in rebus his, ubi convincitur esse mutabilitas. Cum igitur in eorum conspectu et animus et corpus, magis et minus speciosa essent, si autem omni specie carere possent, omnino nulla essent, viderunt aliquid esse ubi prima species incommutabilis esset et ideo nec comparabilis esset ibique rerum esse principium rectissime crediderunt quod factum non esset, ex quo cuncta facta essent. Itaque quod notum est dei manifestante illo, perceperunt, cum ab eis invisibilia eius per ea que facta sunt, intellectu conspecta sunt.

Idem in libro XIo Hinc Apuleius platonicus , deum, creatorem omnium Platonem sic predicasse asseruit quod ipse sit solus qui non possit penuria sermonis humani vel modice comprehendi, vix autem sapientibus viris, cum se vigore animi, quantum licuerit de corpore removerunt, intellectum huiusmodi et id quoque interdum, velut in altissimis tenebris rapidissimo coruscamine lumen candidum intermicans.

Ex libro Lactantii de falsa religione Omnes quoque sybille, unum deum predicasse inveniuntur. Maxime autem Erithrea que inter ceteras celebrior atque nobilior habetur.

Augustinus contra V hostium genera Ait siquidem illa que dicta est Erithrea, unus est deus, omnipotens sublimior ultra omnia que fecit sydera. Ipsum solum, qui est colite mundi creatorem. Qui honorant deum verum, eternam vitam hereditabunt, perpetuo seculo inhabitantes paradisum amenissimum hortum.

Idem in libro de civitate dei Plotinus quoque philosophus fugiendum esse, inquit, ad clarissimam patriam et ibi patere tibi omnia; que igitur classis aut fuga, nisi similem deo fieri.

c. - 16 - QUALITER AD TRIUM PERSONARUM DISTINCTIONEM UTRINQUE APPROPINQUAVERUNT

Idem libro VIIIo Cum autem sapientie studium, in actione vite et contemplatione versetur. Socrates in activa excelluisse, Pythagoras vero contemplative magis institisse memoratur. Proinde Plato utramque iungendo perfecisse laudatur philosophiam, quam videlicet in tres partes distribuit, naturalem, scilicet rationalem et moralem:fortassis autem, qui eum acutius atque veracius intellexisse et secuti esse laudantur, aliquid tale de deo senserunt, ut in illo inveniatur et causa subsistendi et ratio intelligendi et ordo vivendi. Quorum trium unum ad naturalem aliud ad rationalem, tertium ad moralem pertinere intelligitur. Si enim homo ita creatus est, per id, quod in eo precellit, attingat ad illud, quod cuncta precellit, unum scilicet verum optimum deum, sine quo nulla natura subsistit, nulla doctrina instruit, nullus usus expedit. Ipse queratur ubi nobis secura sunt omnia, ipse cernatur, ubi nobis certa sunt omnia; ipse diligatur ubi

nobis recta sunt omnia. Si ergo Plato dei huiusmodi imitatorem, cognitorem, amatorem, dixit esse sapientem, cuius participatione sit beatus, quid opus est discutere ceteros. Nulli nobis quam isti propius accesserunt.Idem, Porphyrius quoque platonicus, principia rerum, ait esse deum patrem ac deum filium, quem vocat paternam mentem sive paternum intellectum,posuit etiam tertium horum medium.

Idem contra V hostium genera Mercurius porro, ait in libro de verbo perfecto , filius dei benedicti atque bone voluntatis eius, cuius nomen ore humano enarrari non potest, de solo deo, dominus omnium est, hunc deus dilexit unigenitum suum, bonus enim visus est ac plenissimus omnium bonorum et letatus est. Sybilla quoque Erithrea. Omnium inquit conditorem nutritoremque qui ducem spiritum omnibus disposuit et ducem deum omnium fecit, deus fidelibus viris honorare dedit.

Idem in libro de civitate dei XIo Animadvertunt quidem, ut dictum est supradicti philosophi tripartitam philosophie esse disciplinam, videlicet, physicam, logicam et ethicam. Et quamvis in his tribus de sancta trinitate non credantur aliquid secundum deum cogitasse, Platoni tamen, qui hanc primus divisionem fertur reperisse neque naturarum omnium nisi deus visus est auctor nec intelligentie dator nec amoris quo bene beateque vivitur inspirator. Sicut autem cum de natura rerum et ratione indagande veritatis et de fine boni, ad quem omnia, que agimus referenda sunt, diversi diversa sentiant. In his tamen tribus questionibus, omnis eorum intentio versatur. Itaque cum in qualibet earum quid quisque sectetur multiplex sit opinionum discrepantia; esse tamen aliquam nature causam, scientie formam, vite

summam, nemo cunctatur. Tria quoque in quolibet homine artifice spectantur, ut opus aliquid ab eo efficiatur, scilicet natura, doctrina et usus. Natura ingenio: doctrina scientia: usus fructus diiudicandus est.Ex his ergo propter beatam vitam obtinendam, illa tripartita a philosophis inventa est disciplina. Naturalis propter naturam. Rationalis propter doctrinam. Moralis propter usum: si ergo nostra natura a nobis esset, profecto naturam et nos sapientiam genuissemus. Nec ea aliunde id est doctrina discendo percipere curaremus. Amor quoque noster a nobis profectus ad nos relatus ad bene vivendum sufficeret nec alio bono quo frueremur ullo indigeret. Nunc vero, quia natura nostra ut sit, deum habet auctorem, proculdubio ut vera sapiamus, deum debemus habere doctorem, ut beatissimum suavitatis intime largitorem. Nam et nos quidem in nobis imaginem agnoscimus illius trinitatis summe et non equalem, tamen adhuc reformatione perficiendam, ut ei proxima sit etiam similitudine.

c. - 17 - QUOD IN TRINITATIS DISTINCTIONE DEFECERUNT

Glossa super epistolam ad Romanos Io Itaque quod notum est dei, manifestum est in illis, naturalis videlicet rationis ductu. Notum enim dei hoc esse dicimus , quod ex huius mundi dispositione et naturali ratione assequi possumus et illi quidem philosophi nobiles quoquomodo creaturas interrogantes de creatore quesierunt omnique specie ac dispositione quasi voce respondente, ex arte artificem cognoverunt. Sic eius invisibilia per ea que facta sunt intellectu conspexerunt, quia scilicet ex

perpetuitate creaturarum eius eternitatem, ex magnitudine omnipotentiam et ex gubernatione virtutem vel bonitatem et huiusmodi intellexerunt. Quidam autem in illis verbis apostoli , volunt per invisibilia patrem intelligi, per virtutem vero filium, per divinitatem spiritum sanctum. Sed beatus Augustinus philosophos, usque ad tertie persone notitiam, scilicet spiritu sancti non pertigisse dicit. Ubi de tertio signo, in quo defecerunt magi pharaonis disserit. Magi enim inquit, non in primo aut secundo signo defecerunt, quia summi gentium philosophi g-agathô id est summo patre et de g-nô scilicet eius mente philosophati sunt. Sed in tertio signo non prevaluerunt magi quia usque ad tertiam personam non valuerunt venire philosophi. Itaque dicimus eos hanc summe trinitatis distinctionem, quam fides catholica profitetur, nullatenus habuisse vel habere potuisse, absque doctrine vel interne inspirationis revelatione. Revelavit autem illis deus per opera virtutem, non per doctrinam vel inspirationem. Viderunt ergo de longinquo veritatem, sed non appropinquaverunt per humilitatem. Non igitur has personas ideo dicuntur intellexisse, quod eas distincte et veraciter et proprie intellexerunt, sed quoniam illa tria, que tribus illis personis in sacra scriptura frequenter, distinctim ac separabiliter attribui solent, scilicet potentiam, sapientiam, bonitatem in deo esse cognoverunt. Potentia siquidem attribuitur patri, sapientia filio, bonitas vero spiritui sancto. Sicut autem ex motibus et administratione corporis animam intelligis, licet invisibilem, sic et illi ex totius mundi administratione ac regimine creaturarum omnium creatorem intellexerunt. Unde et apostolus eos inexcusabiles dicit, quos non latuit veritas et in eis perseveravit iniquitas.

c. - 18 - QUALITER ETIAM CIRCA MUNDI ORIGINEM ERRAVERUNT

Helinandus in chronicis libro Io In principio igitur creavit deus celum et terram. Hic convincitur Epicurus , qui dicit mundum casu factum: si enim casus mundum fecit; cur non aliquando domum facit vel aliquid tale, quod minus est quam mundum facere. Item si casus hoc fecit, ergo alique cause precesserunt mundum, quarum cursus fecit illum casum. Casus enim est inopinatus rei eventus ex confluentibus causis. Non ergo casus fecit mundum, sed nec natura, ut alii philosophi dicunt. Nam proprium est nature contraria fugere, similia appetere. Mundus autem ex contrariis elementis factus est, fecit ergo mundum, non natura vel casus, sed aliquis artifex, sed quis ille nisi deus? Item que disponuntur, sapienter disponuntur. Est ergo aliqua sapientia, qua omnia disponuntur. Illa autem alicuius est et cuius nisi dei? Illa quoque sapientia habuit potentiam et voluntatem. Nam si non potuit, quomodo tanta et tam pulchra fecit, si autem fecit et voluit vel ignorans vel coacta hoc fecit; sed tantam potentiam, quid potuit cogere? Et tanta sapientia quid potuit ignorare? Est ergo deo potentia summa; voluntas optima et sapientia summa, qua fecit mundum.

Ambrosius in Hexaemeron libro Io Plato et discipuli eius , tria principia omnium rerum constituerunt, deum, exemplar et materiam. Eaque incorrupta et increata ac sine initio esse affirmarunt: deumque ad exemplar, id est ad id eam intendentem, mundum de materia fecisse incorruptum. Aristoteles quoque cum suis, duo principia posuit; materiam et speciem et tertium cum his quod operatorium dicit: cui suppetit competenter efficere, quod ad oriendum putasset. Quid autem, tam

inconveniens, quam ut eternitatem operis, cum dei omnipotentis eternitate coniungerent vel ipsum opus deum esse dicerent? Nam alii mundum ipsum deum esse dixerunt, quod ei mentem divinam inesse putarent. Alii partes eius, aliis utrumque. Hos omnium errores Moyses elidit. In principio et cetera dicens initium rerum auctorem mundi; creationem mente comprehendens.

c. - 19 - CUR DEUS MUNDUM OPTIMUM CREAVIT ET UNICUM

Ioannes Damascenus Quoniam igitur bonus est ac super bonus deus, non est sui ipsius contemplatione contentus, sed bonitatis superabundantia quedam generari, quibus benefaceret, acceptavit et participativa sua bonitate ex non ente ad esse universa visibilia et invisibilia deduxit et condidit eumque qui ex visibili et invisibili constat hominem composuit.

Augustinus super Genesim libro VIIIo Nullo quippe bono deus extra se indiget, qui bono quod fecit non eget. Quibus autem bonis laudabiliter non egeret, si nulla bona fecisset, bonus non esset, bona quoque facere si non posset, nulla esset potentia. Si autem posset nec faceret, magna esset invidentia. Quoniam ergo omnipotens ac bonus existit, omnia valde bona fecit.

Ambrosius Ut etiam ipse deus, qui natura invisibilis est, a visibilibus sciri posset, opus fecit quod opificem visibilitate sui manifestaret.

Basilius in Hexaemeron libro Io Beata ergo natura et opulenta bonitas, dilectissima cunctis rationem

habentibus ac nimium beata pulchritudo, principium omnium que sunt, fons vite, inaccessibilis sapientia,ipse fecit in principio mundum, ut bonus utilem, ut sapiens optimum, ut potens maximum.

Plato in Thimeo libro Io Ut autem exemplari cuius emulationem mutuabatur etiam in numero similis esset; idcirco nec duo nec innumerabiles mundi, sed unus a deo factus est mundus. Operi porro formam dat artifex, ad immortalis siquidem et in statu gemino persistentis exempli, similitudinem atque emulationem formans operis effigiem, honestum efficiat simulachrum necesse est, optimus erat ab optimo, porro invidia longe relegata est. Itaque sui similia, prout cuiusque natura poterat esse capax beatitudinis, effici voluit. Quoniam quidem voluntatem dei, originem rerum esse certissimam si quis ponat, recte eum putare consentiam.

c. - 20 - CUR FECIT EUM PULCHERRIMUM

[Idem] [in eodem XIIo] Nec fas erat bonitati prestanti quicquam facere, nisi pulchrum.

Augustinus de civitate dei libro XIIo Pulchritudo et utilitas, etiam inferioris huius creature, que homini licet in has miserias proiecto, spectanda atque sumenda, divina largitate concessa est, quo sermone terminari potest, in celi et terre et maris multimoda atque varia pulchritudine, in lucis tanta copia tamque mirabili specie; in sole ac luna syderibus; in opacitatibus nemorum; in coloribus et odoribus florum; in diversitate volucrum garrularum atque picarum. In multiplici specie, tot tantorumque animantium, quorum ille plus habent

admirationis, que molis minimum. Plus enim formicularum et apicularum opera stupemus, quam immensa corpora balenarum. In ipsius quoque maris, tam grandi spectaculo, cum se velut vestibus induit diversis coloribus. Quam porro delectabiliter inspectatur, etiam quantumcumque turbatur. Et sic inde maior suavitas, quia sic demulcet intuentem, ut non iactet et quatiat navigantem.
Idem in libro de vera religione Ita autem ordinantur omnes vel omnia officiis et finibus suis in pulchritudinem universitatis, ut quod horremus in parte, placeat plurimum si consideremus in toto. Nihil enim est ordinatum, quod non sit pulchrum. Ista ergo propterea infinita sunt, quia partibus imperfectis tota perfecta sunt, seu in statu, seu in motu pulchra sentiantur, tota consideranda sunt si recte volumus iudicare.
Idem in eodem Nec frustra intueri oportet et inaniter pulchritudinem celi, ordinem syderum, vicissitudinem temporum, in quorum consideratione, non vana curiositas est exercenda, sed gradus ad eterna faciendus.

Isidorus de summo bono libro Io Ex pulchritudine quippe circunscripte creature, pulchritudinem suam que circumscribi nequit, deus intelligi facit, ut ipsis homo vestigiis ad deum revertatur, quibus aversus esse probatur, videlicet, ut quia per amorem pulchritudinis creature a creatoris forma se abstulerat, rursum per creature decorem ad creatoris pulchritudinem redeat.

c. - 21 - DE ARTE DIVINA QUA DEUS FABRICAVIT OMNIA

Augustinus de trinitate in libro VIo Ipsaque est ars quedam omnipotentis et sapientia dei, plena omni ratione viventium et incommutabilium et omnes unum in ea sunt sicut ipsa est una de uno, cum quo et unum. Idem de

civitate dei libro XIo Hi sunt enim ut dictum est, infiniti thesauri rerum intelligibilium; in quibus et omnes invisibiles et incommutabiles sunt rationes, rerum etiam invisibilium et incommutabilium, que per illam facte sunt. Basilius in Hexaemeron libro Io Erat enim antiquissima ordinatio creature, illis que extra mundum sunt, apta virtutibus, orta sine tempore, sempiterna sibique propria, in qua deus omnium conditor instituit opera certa, hec est lumenintelligibile et eternum, beatitudini conveniens omnium amantium deum. Bernardus Sylvester in megacosmo Erat quippe fons luminis, seminarium vite, plenitudo scientie, hec est que mens nominatur divina. In qua vite viventis imagine, eterne notiones mundus intelligibilis, rerum cognitio prefinita et luce inaccessibili splendor emicuit radiatus, imago vel vultus, patris imagine consignatus, hec est dei sapientia vivis eternitatis fontibus genita vel nutrita. Augustinus de questionibus LXXXo Et hec ipsa omnipotentis ars, per quam ex nihilo facta sunt omnia ipsamet inquam operatur etiam per artifices, ut pulchra et congruentia faciant, licet non de nihilo, sed de aliqua operentur materia. Non enim et ipsi de nihilo, aliquid fabricare possunt, quia per corpus operantur, cum tamen eosdem numeros et convenientiam lineamentorum, que corpori per corpus imprimunt, ab ipsa summa sapientia in animo accipiunt, que scilicet sapientia numeros ipsos et convenientiam longe artificiosius universo mundi corpori impressit, quod ipsa de nihilo fabricavit. In quo sunt etiam animalium corpora, que de aliquo id est de mundi elementis fabricantur, sed longe potentius et excellentius, quam artifices hominis easdem figuras et formas corporum, in suis operibus imitantur, non enim omnis numerositas humani corporis in statua invenitur. Sed tamen quicquid ex ea reperitur, ab ipsa sapientia per artificis animum traiicitur, qua ipsum corpus humanum

naturaliter fabricatur nec ideo tamen pro magno habendi sunt, quia talia opera fabricant aut diligunt. Quoniam anima minoribus rebus intenta, quas per corpus corporaliter agit, ipsi sapientie minus inheret. Unde potentias illas habet, quibus male utitur, dum eas foras exercet. Illa siquidem in quibus eas exercet diligens, interiorem eorum formam, quasi vilem negligit et sic inanior infirmiorque fit. Hugo libro primo didascalicon
Unde et huiusmodi opera humana, que non sunt naturalia, sed naturam imitantur, convenienter mechanica, id est, g-sphalma adulterina nominantur. Nam, verbi gratia, qui statuam fundit, hominem intuitus est, cuius imaginem exprimere intendit. Qui vestes primitus adinvenit, queque nascentia, propria quedam habere munimenta, quibus naturam suam ab incommodis defendant, consideravit, ut cortex ambit arborem, penna tegit volucrem, squamma piscem, lana ovem, pilus iumenta vestit, concha testudinem excipit, ebur elephantem iacula non timere facit. Idem de tribus diebus
Et homines quidem frequenter diligere solent propter opus scientiam suam, non opus propter scientiam,sed absit ut credamus, quod deus sapientiam suam propter opera, que per illam fecit, diligat. Quin potius opera sua omnia, non nisi propter illam amat, propterea enim dixit, hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui non in terra aut in celo, non in sole aut luna et cetera. Nam et ista si suo modo placita sunt, tamen nisi in ipso et per ipsum, placere non possunt. Tanto enim amplius amore meo digna sunt, quanto vicinius in eius similitudinem accedunt.

c. - 22 - DE RATIONIBUS VEL IDEIS VIVENTIBUS IN EIUS MENTE VEL SAPIENTIA

Augustinus in libro questionibus LXXXo Ille vero principales forme vel rationes rerum stabiles idee vocantur, que divina intelligentia continentur nec ipse

formate sunt, sed secundum eas, quicquid oritur vel interit formatur. Quas, scilicet rationes eternas in verbo intueri anima nequit, nisi qui rationis oculum sanum, purum ac serenum et sanctum ac similem eis, quas videre intendit habuerit. Sic enim ipso intelligibili lumine perfusa et illustrata, cum ei coheserit, hac ipsa visione beatissima fit: has autem sive ideas sive formas sive species sive rationes, appellare licet multisque conceditur vocare quodlibet, sed paucis videre, quod verum est. Glossa super epistolam ad Hebreos IIo Hic est mundus invisibilis, qui erat in sapientia dei, videlicet ipsa eius dispositio eterna, qua in verbo suo disposuit omnia. Unde apostolus . Fide, inquit, intelligimus aptata esse secula verbo dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent, hoc est iuxta exemplar invisibile, quod erat in mente divina, ex nihilo adesse procederent. Glossa super Ioannes Nam et faber prius arcam facit in mente, post in opere, quod est in mente vivit cum artifice, quod autem fit mutatur cum tempore. Unde de verbo dei scriptura pronunciat, quia quod factum est in ipso vite erat. Quicquid enim factum est in tempore, semper vixit et vivit in spirituali factoris ratione. Augustinus ubi supra Omnia quippe deus ratione condidit nec eadem ratione hominem, qua equum, sed singula propriis rationibus constituit, has vero rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa creatoris mente, non enim quicquam extra se positum aspiciebat, ut secundum id constitueret, quod faciebat.

c. - 23 - QUALITER SECUNDUM ILLAS RATIONES SIVE NOTIONES FECIT OMNIA

Idem super Genesim libro Io Ante omnia ergo meminerimus deum, non sicut operatur homo vel angelus, quasi temporalibus animi sui moribus operari. Sed eternis atque incommutabilibus et stabilibus rationibus verbi sui coeterni et quodam, ut ita dixerim, statu pariter coeterni spiritus sui sancti. Nam et id, quod

in greca et in latina lingua de spiritu sancto legitur, quod super aquas ferebatur, syra lingua potius, fovebat, intelligi prohibetur. Non utique sicut in corpore tumores aut vulnera vel frigidis aquis vel calore congruo temperatis foventur, sed sicut ova foventur ab alitibus, ubi calor ille materni corporis, etiam formandis pullis per quendam in suo genere dilectionis affectum adminiculatur. Quod ergo dixit deus : fiat hoc et fiat illud, sicut in Genesim refert scriptura, ad eternitatem verbi refertur, quamvis deo hoc in eterno verbo dicente, temporalis facta sit creatura. Cum enim verba sint temporis, quando et aliquando, tamen quando fieri debet aliquid, eternum est in dei verbo et tunc fit quando fieri debuisse in illo verbo est, in quo non est, quando et aliquando, quoniam totum illud verbum patri coeternum est, patre namque loquente, dicitur verbum quod filius est, in eterno ore, sed tamen loquente deo verbum coeternum in ore dicendum est. Idem in libro IIo Nec totiens dixit deum fiat hoc vel illud; quotiens in Genesim repetitur: dixit deus unum quippe verbum pater genuit, in quo dixit omnia, priusquam facta essent singula: sed eloquium scribentis ad parvulorum descendens capacitatem, dum sigillatim genera creaturarum insinuat, respicit uniuscuiusque generis eternam in verbo dei rationem nec illa repetita ipse tamen repetit et dicit. Dixit quoque deus et cetera.
Idem in libro Io Horum itaque, que secundum rationes in verbo dei manentes creata sunt, quedam etiam omnem temporalem volubilitatem super gressa, in amplissima sanctitate manent sub deo. Quedam vero secundum temporis sui modos, dum per decessionem rerum atque successionem seculorum contexitur pulchritudo. Sed multum est ac difficillimum capere, quomodo dicatur, deo non temporaliter iubente neque id creatura spirituali, que tempora omnia contemplatione veritatis excedit,

temporaliter audiente. Sed intellectualiter sibimet impressas ab incommutabili dei sapientia rationes, tamquam intelligibiles locutiones, in ea que infra sunt transmittente, temporales fieri motus in rebus temporalibus vel formandis vel administrandis. Idem in libro IVo Non autem sicut eas, nunc secundum motus naturales experimur. Sic etiam cum primo institute sunt; cogitare debemus, sed secundum ineffabilem virtutem sapientie dei, que attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter. Neque enim ipsa, gradibus attingit aut tamquam gressibus pervenit; quapropter, quam facilis et efficacissimus est ei motus, tam facile omnia condidit deus.

c. - 24 - QUOD DEUS FECIT MUNDUM ABSQUE VOLUNTATIS NOVITATE

Augustinus de civitate dei libro XIo Verum quid eterno deo placuit, ut celum et terram tunc faceret, que antea non fecisset, qui hoc dicunt, si mundum eternum et ideo nec a deo factum videri volunt; letali morbo impietatis insaniunt et a veritate nimis aversi sunt, ut enim iam supra diximus, exceptis propheticis vocibus, ipse quoque mundus ordinatissima mutabilitate atque visibilium omnium pulcherrima specie quodammodo tacitus proclamat, a deo ineffabiliter magno et pulchro se factum. Qui autem a deo quidem fatentur esse factum nec tamen habere volunt temporis, sed sue creationis initium, ut quodammodo vix intelligibili factus semper sit, non video qualiter eis hec ratio in animo subsistere possit, nam si eam contenderint deo coeternam esse; unde illi acciderit nova massa, que nunquam in eternum fuerit antea, nunquam potuerint explicare. Porro si ex tempore dicunt esse ipsam creatam, sed nullo ulterius tempore perituram, tamquam numerum habere initium, sed non finem et ideo semel miserias expertam, si ab eis fuerit liberata; numquam postea miseram esse futuram, non

utique dubitabunt hoc fieri manente incommutabilitate consilii dei. Sic ergo credant et mundum ex tempore fieri potuisse. Et tamen non ideo deum in eo faciendo eternum consilium voluntatemque mutavisse,visibilium quidem omnium maximus est mundus, invisibilium omnium maximus est deus. Sed mundum esse cognoscimus, deum autem esse credimus. Quodque deus mundum fecerit, nulli potius quam ipsi deo credimus, qui per prophetam loquens dixit. In principio creavit deus celum et terram. Sed nunquid iste propheta ibi fuit, quando celum et terram deus fecit? Nequaquam, sed ibi sapientia dei per quam facta sunt omnia fuit, que in animas sanctas se transfert et amicos dei et prophetas constituit eique opera sua sine strepitu enarrans intus instruxit et sicut de visibilibus que non videmus, illis credimus qui viderunt, ita de invisibilibus que a nostro interiore sensu remota sunt, his nos oportet credere, qui hec nullo lumine corporeo disposita didicerunt.Ex his erat ille unus propheta tam idoneus testis, per quem deo credendum sit, ut eodem spiritu quo hec sibi revelata cognovit et ipsam fidem nostram futuram, tanto ante predixit.

Isidorus de summo bono libro Io Verum in creatione mundi, sicut iam dictum est, nova voluntas exorta non est. Nam etsi mundus in re non erat, in eterna tamen ratione et consilio semper erat.

Hugo de sacramentis libro Io Itaque prima rerum omnium causa, voluntas creatoris est. Quam nulla precedens causa movit, quia eterna est nec subsequens aliqua confirmat, quia ex semetipsa iusta est ac secundum eam iustum est omne, quod iustum est.

c. - 25 - QUOD MUNDUS CUM TEMPORE FACTUS SIT ET NON ANTE

Augustinus ubi supra Illis vero, qui deum conditorem esse mundi consentiunt, sed tamen de tempore, cur potius factus sit tunc et non antea querunt. Respondemus

et nos similiter querentes de loco, cur hic potius et non alibi,si vero dixerint inanes cogitationes esse hominum, quibus infinita imaginantur loca, cum nullus sit locus preter mundum. Respondetur eis similiter inanes esse illas, quibus infinita cogitant preterite vocationis dei tempora, cum nullum sit tempus ante mundum. Nam si discernuntur eternitas et tempus, quod videlicet tempus sine aliqua mutabilitate non est, in eternitate autem nulla mutatio est, quis non videat, quod tempora non fuissent nisi creatura fieret, que aliquid aliqua motione mutaret, cuius, scilicet motionis et mutationis, cum aliud atque aliud, que simul esse non possunt, cedit atque succedit, in brevioribus vel productioribus motarum intervallis, sequeretur tempus. Cum ergo deus creator sit temporum et ordinator, in cuius eternitate mutatio non est, quomodo dicatur post temporum spacia mundum creasse, non video. Non itaque factus est mundus in tempore, sed cum tempore. Quod enim in tempore fit et post aliquod et ante aliquod tempus fit:porro si litere sacre et verissime, dicunt a principio deum fecisse celum et terram et nil antea fecisse intelligitur, proculdubio non est mundus factus in tempore, sed cum tempore. Quod enim fit in tempore et post aliquod tempus fit et ante aliquod, post preteritum et ante futurum. Idem libro de trinitate libro Vo in fine Deus fuit dominus, antequam fuit tempus. Et in tempore cepit esse dominus, quia dominus temporis quandoque esse cepit nec utique tempus cepit esse in tempore, quia non erat tempus, antequam inciperet tempus. Idem de civitate dei libro XIIo Hanc autem questionem, cur deus ita tarde creavit mundum, non putaverunt philosophi, se aliter posse vel debere dissolvere, nisi ut circuitus temporum inducerent, quibus semper eadem fuisse renovata et repetita naturam rerum. Atque ita deinceps sine cessatione fore volumina venientium pretereuntiumque seculorum

asseverarent.Fallunt eos quedam mendacissime litere, que perhibent multa annorum millia transisse, cum in sacris literis ab institutione hominis nondum completa sex millia annorum computemus.

c. - 26 - QUOD NON FACIEBAT ALIQUID, ANTEQUAM MUNDUM FACERET

Idem in libro confessionum IIo Quam magnificata sunt opera tua domine, omnia in sapientia fecisti et illa principium et in eo principio celum et terram. Nonne ecce pleni sunt vetustatis sue, qui nobis dicunt. Quid faciebat deus, antequam faceret celum et terram, si enim vacabat inquiunt, cur non sic semper et deinceps? Nam si ullus motus in deo novus extitit et in deo extitit voluntas nova operandi, quomodo iam vera eternitas ubi oritur, que non erat voluntas. Si autem voluntas dei erat sempiterna, ut esset creatura: cur non est sempiterna creatura? Qui hoc dicunt nondum intelligunt. O sapientia dei, lux mentium, nondum intelligunt quomodo fiunt que per te fiunt et conantur eterna sapere, sed adhuc in preteritis et futuris motibus rerum cor eorum volitat et adhuc vanum est. Quis tenebit et figet illud, ut paululum stet et paululum rapiat splendorem semper stantis eternitatis, ut comparet cum temporibus nunquam stantibus et esse videat incomparabilem videatque longum tempus, non nisi ex multis pretereuntibus motibus, qui simul extendi non possunt longum fieri; non autem preterire quicquam in eterno, sed totum esse presens. Sed omne preteritum propelli ex futuro et omne futurum ex preterito consequi et omne preteritum ac futurum, ab eo quod semper est presens creati et excurrere. Dicenti ergo, quid faciebat et cetera. Respondeo non illud, quod quidam iocculariter respondisse perhibetur eludens questionis violentiam; alta inquit querentibus gehennas parabat. Unde irridetur qui alta quesivit et laudatur qui falsa respondit. Sed

audenter dico , si celi et terre nomine omnis creatura intelligitur, antequam faceret deus celum et terram non faciebat aliquid. At si cuiusquam volatilis sensus vagatur per imagines retro temporum; et te deus omnia creantem et omnia tenentem, ab opere tanto, antequam ea faceres per innumerabilia secula cessasse miratur; attendat quam falsa miratur, non enim potuerunt preterire tempora antequam faceres tempora nec tu tempora precedis tempore, sed semper stantis eternitatis celsitudine. Hieronymus super Isaiam libro IIIo Faciem itaque domini et manus et pedes seraphin operiunt, quia et preterita ante mundum et futura post mundum scire non possumus, sed media contemplamur.

c. - 27 - QUALITER OPERATUR ET CREAT ET FACIAT

Ioannes Damascenus libro Io Solius dei est, ubique et secundum idem operari; ubique enim est super omnia, ubique et secundum idem differenter operatur et una simplici operatione. Petrus Lombardus Creare proprie est de nihilo aliquid facere, facere autem est, non modo de nihilo aliquid operari, sed etiam de materia. Deus autem et de nihilo quedam et de aliquo aliqua facit. Ipse est ergo creator et opifex et factor. Sed primum sibi proprie retinuit. Alia vero etiam creaturis communicavit, nam et homo et angelus potest aliqua facere, sed non creare. Cum autem dicimus , deum aliquid facere, non aliquem illi in operando motum intelligimus inesse vel aliquam in laborando passionem sicut nobis solet accidere, sed eius sempiterne voluntatis novum aliquem significamus effectum, id est, eterna eius voluntate aliquid noviter existere. Et hoc dicitur agere, quia eius causa existit absque eius agitatione; ut actus proprie dici non queat, cum actus omnis in motu consistat. In deo autem nullus motus sit; sicut ergo ex calore solis aliqua contingit fieri, nulla tamen in ipso vel in eius calore facta mutatione vel motione, ita ex dei voluntate nova habent esse sine

actoris mutatione.

c. - 28 - DE CREATIONE EMPYRII ET DE MATERIA INFORMI

Strabus super Genesim Cum autem dicitur in principio creavit deus celum et terram, celum non visibile firmamentum appellatur, sed empyrium, id est, igneum vel intellectuale, quod non ab ardore, sed splendore igneum dicitur. Quod statim factum repletum est angelis. Ioannes Damascenus libro IIo Celum est continentia visibilium et invisibilium creaturarum. Intra ipsum enim et intellectuales angelorum virtutes et omnia sensibilia circuncluduntur et circumterminantur. Actor Aiunt ergo celum hoc esse corporalem locum nativum angelorum, ubi creati sunt super firmamentum ex omni parte concludentem intra se firmamentum non continuum vel contiguum, sed distantem. Sunt enim aque vaporabiles intermedie, que secundum quosdam in crystallum congelate, dicuntur celum crystallinum, non autem empyrium, propterea tanti ambitus factum est, quia non possent minimo in loco plures angeli esse, sed ad mirandum et laudandum creatoris immensitatem cum gaudio, tamquam in eiusdem summi regis amplissimo palatio. Actor et glossa super Genesim Nomine vero terre materia quatuor elementorum consignatur, adhuc confusa et informis, quia scilicet terra inter omnia elementa est minus speciosa, ut dicit Augustinus . Igitur celum et terram deus simul creavit, quamvis ab homine simul utrumque dici non potuerit, quod cum scriptura variat; tanta celeritate operationis deum omnipotentem esse declarat; cui voluisse facere est. Ex his patet quatuor fuisse primitivas creaturas coevas, scilicet tempus, celum empyrium, angelos et quatuor elementorum materiam et hec creata sunt ante omnem diem.